

omnium fidelium defunctorum singulis annis anniversarium celebretur in expiationem animæ illorum pro quibus, ex lege perpetuarum fundationum offerri et applicari debuissent memorata sacrificia præcedenti tempore ommissa: « Ab hactenus ommissa missarum perpetuarum celebratione misericorditer absolvit, etc. Uno die infra octavam Commemorationis omnium fidelium defunctorum unum anniversarium, in tabella onerum monasteriorum describendum, celebretur, et applicetur pro animabus illorum pro quibus præfate missæ perpetuæ erant celebrandæ et applicandæ, et hactenus non fuerunt celebratæ et applicatæ. »

(42. Denique *ib.*, n. 35, concludit ut sequitur: « Cum vero missarum perpetuarum reductio, ob insufficientiam reddituum, ab episcopo fit vigore facultatum in sæpe dicta instructione contentarum, tunc reductio componi debet ad manuales, ut inquit; nimirum statuendum est, ut tot in posterum celebrentur missæ, quot celebrari possunt, non quidem constituta pro iis eleemosyna ad eam mensuram qua missarum perpetuarum eleemosyna in concilio Romani indulto taxatur, sed juxta eam quantitatem quæ vel ex synodali taxatione, vel ex recepta regionis consuetudine præstatur pro singulis missis, quas fideles dicitur, ad manus tradita sacerdotibus eleemosyna, celebrari curant: « Juxta proportionem cujuscumque legati reddituum quantitatem, ad rationem eleemosynæ manualis, inspectis regionis more, pro suo arbitrio et conscientia, reducere ac moderari possit et valeat: » idque etiam faciendum decernitur, quamvis ea esset piæ dispositionis forma, ut vel expresse, vel tacite impositum præferret onus supplendi redditus casu aliquo imminutos; si, opportunis adhibitis diligentibus, vel hæredes ad id obstricti, vel bona ab ipso fundatore provenientia reperiri non possint: « In casu vero quo, factis judicialibus et possibilibus diligentibus, etiam per edictum sub pœna censurarum, vel hæredes cogendi, vel fundatorum bona non reperiantur, aut fundationes ipsæ haberi nequeant, tunc onera ipsa ad eandem rationem eleemosynæ manualis reducere possit. » Hujusmodi autem reductioni peractæ et absolutæ, nulla alia adjungitur clausula, præter hanc unam: « Quod si redditus augeantur, augeri quoque debeat missarum numerus. » Denique has omnes reductiones aggredi et perficere potest episcopus, non solum, dum sacra instituta visitatione diocesim perlustrat, sed etiam cum ab ea cessaverit; *tam in actu visitationis, quam extra, ut habent ipsa instructionis verba.* Quærit tandem Pasqualigus, *De sacrificio novæ legis*, quæst. 1182, an episcopus, qui ab Apostolica Sede obtinuit facultatem reducendi missas suæ diœcesis, possit etiam reducere perpetua missarum onera regularibus in eadem diœcesi commorantibus imposita, idque eidem licere non dubitat, quotiescunque regu-

lares ipsi hac in re illius delegatam auctoritatem implorant, neque id putat, aut ipsorum regularium exemptionem, aut Sanctæ Sedis jura ullo modo lædere. Post sunt in hoc se subijcere, neque præjudicant Romanæ Sedi: quia possunt se subijcere cum consensu ejusdem Romanæ Sedis. Dum autem Pontifex concedit episcopo ut possit reducere onera missarum suæ diœcesis, concedit etiam implicite quod regulares diœcesis possint se subijcere episcopo in ordine ad obtinendam reductionem. » Hucusque ad litteram laudatus Pontifex *loco citato*.

(43. * Sacerdotes missas cum episcopo celebrantes, eleemosynam pro sacrificio illo accipere minime valent, quia dans eleemosynam petit missam modo consueto. Ben. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, c. 16, § 10.

(44. Si superior sacerdoti præceperit ut missam certo alicui applicet, at ille pro alio offerat, reus est quidem sacerdos inobedientiæ, sed applicatio a sacerdotis voluntate pendet, cum ille sit minister et dispensator sui sacrificii. *Ibid.*, § 4.

(45. Cum is qui eleemosynam contulit pro missa celebranda præscripserit etiam tempus ob causam quæ differri non possit, sacerdos non servans illud tempus, deest obligationi suæ, ac tenetur eleemosynam restituere. *Ibid.*, cap. 9, § 6.

(46. Sacerdos onus habens missæ quotidianæ, unicam tantum missam applicare cogitur in festo Natalis Domini. An vero parochus itidem teneatur tres ejus diei missas pro populo applicare, nunquam decisum a sacra congregatione reperitur; teneatur tamen, ut obviet scandalo, tres ea die missas celebrare. *Ibidem*, § 9.

(47. Eleemosyna pro missis a regularibus celebrandis in eorum ecclesiis, taxanda est ab ordinario loci, ut ex decreto S. cong., *Instit. eccles.* 56, § 10.

(48. Missarum eleemosynam ultra quantitatem ab episcopo taxatam exigere non possunt sacerdotes, tam sæculares quam regulares, nam debet dari quædam proportio inter id quod datur et id quod accipitur; hæc autem proportionem definire ad episcopum spectat, quare justitiam commutativam lædit ille sacerdos, qui plus exigeret. Potest tamen dans ultro plus dare, et petens minus accipere, quanquam fieri possit ut aliquando prohibeatur sacerdos minus accipere, ne introducat hinc consuetudo minus dandi in præjudicium aliorum. Hæc omnia late in *Synodo diœcesana*, lib. V, cap. 2, et id quod postremo dixi, confirmat ex decreto congregationis Concilii lato in *una S. Severini die 16 Julii 1689*.

(49. Vetitum est accipere novas missarum eleemosynas iis qui veteres habent satisfaciendas, « dummodo, » ut legitur in decreto Urbani VIII, « infra modicum tempus non possit omnibus satisfieri. » Modicum tempus definiit S. congregatio Concilii esse unum

mensem. *De sacrif. miss.*, lib. III, cap. 24, § 14.

(50. Alia ad rem, vide in tom. IX *Resolut. sacr. congr. Concilii Montis Regal. reduct. miss.*, etc, pag. 41.

ADDITIONES EX ALIENA MANU

(51. De cessatione, diminutione, reductione, tum augmento oneris missarum paucis est hic disserendum. (52. Ad cessationem quod attinet, quæri solet an deficientibus fructibus jam assignatis pro missis, cesset obligatio celebrandi? (53. Videndum autem an defecerint culpa legatarii, nec ne. Si defecerint culpa legatarii, non est quod cessare possit obligatio celebrandi; sin autem citra legatarii culpam defecerint, cessat utique celebrandi obligatio; Perez, *De annivers. et capellan.*, lib. I, cap. 15, n. 8 et seq., aliosque cumulans Pasqualig., *De sacrific. miss.*, tom. II, quæst. 105, n. 1 et 2.

(54. At nota primo, quod si defecerint fructus, non culpa communitatis, cui legatum missarum relictum est, sed ejus qui ipsi præest, cessat adhuc obligatio celebrandi, secundum Pasqualig., *loc. cit.*, n. 8. At opinio hæc non omnis expertis est difficultatis.

(55. Nota secundo, quod si fructus existant, sed exigi nequeant, idem est ac si defecerint, dummodo tamen legatarius omnem adhibeat diligentiam pro exactione: Idem auctor, *ubi supra*, n. 7.

(56. Nota demum, quod si ad tempus deficient fructus, ad tempus cessat quoque obligatio celebrandi. Mox laudatus auctor, *eod. loc.*, n. 6.

(57. Quod vero concernit diminutionem, quæstio etiam est an, diminutis fructibus, diminuendum quoque sit onus missarum? Ea semper mihi arrisit distinctio, ut diminuendum haud sit onus missarum, si, non obstante diminutione, consuetum remaneat stipendium pro missis perpetuis; diminuendum vero sit, si hoc stipendium minime remaneat. Tamburin., *De sacrific. miss.*, c. 1, § 3, n. 90 et sequent. (58. Ubi tamen, quod non statim minuendus est numerus missarum, sed unus cum alio anno compensandus, Alvarad., *De conjectur. ment. defunct.*, lib. II, cap. 2, § 1, n. 37.

(59. Num autem id ipsum locum habeat quoad executores? « Respondeo (inquit Pasqualig., quæst. 1076, n. 8) quod si sint puri executores, et nudi, ita ut nil commodi percipere inde possint, debent curare, ut celebretur præcisus numerus missarum præscriptus, quousque reperiat qui celebrare velit, contentus fructibus legati, qui supersunt. Quod si non reperiant, celebrari curabunt illum numerum missarum pro quo sufficit proventus. Si autem sint executores misti, seu veri legatarii, ita ut cedat in commodum ipsorum, quod superest ab executione operis injuncti, nec teneantur exhibere pro celebratione aliquid ultra con-

suetum stipendium missarum manualium, crederem, juxta diminutionem proventuum legati, minui posse etiam missarum numerum. »

(60. Disputari ethic solet, an in diminutione missarum requiratur auctoritas Sedis Apostolicæ? Resolutio autem hujus quæstionis inde pendere videtur, an diminutio sit reductio? Nam, ut recte monet auctor ex decreto de celebratione missarum § 1, reductio est S. Sedi reservata. (61. Tenet autem Pasqualig., q. 1077, per tot., differre diminutionem a reductione, adeoque in ea non requiri auctoritatem S. Sedis. (62. At non semper diminutio differt a reductione. Si enim petatur reductio, quia stipendium evasit incongruum oneri missarum, ut peti potest juxta ipsum Pasqualigo, qu. 1178, in nihilo videtur differre diminutio a reductione. Et propterea, si et in hac reductione requiritur auctoritas Sedis Apostolicæ, requiritur etiam in diminutione.

(63. De reductione ut aliquid dicamus, duplici ex causa deveniri ad eam potest.

(64. Prima est, ut mox innuimus, incongruitas stipendii cum onere. Quando autem hæc causa dicatur adesse, tradit Pasqualig., dict. quæst. 1178, n. 3. (65. Altera est impossibilitas adimplendi omnia missarum onera, puta quia existunt etiamnum redditus pro missis assignati, sed monasterium nequit amplius alere tot sacerdotes, quot prius alebat. Et hoc in casu differentia intercedit diminutionem inter et reductionem. De hac altera causa etiam disserit Pasqualigo, *loc. cit.*, n. 4, et plures seq. Sed an altera hæc causa semper sit admittenda dubitari potest.

(66. In reductione vero missarum semper stabilienda est commemoratio illorum defunctorum, in quorum favorem onera erant adimplenda; concilium Tridentin., sess. xxv, c. 4, *De refor.* Hæc autem commemoratio potest consistere, vel in celebratione unius aut plurium missarum, vel in recitatione collectarum, aliarumve precum, vel in solo *Memento* post consecrationem: Fraxinell., *De obligat. sacerdot.*, sect. 7, § 5, num. 17; Tamburin., *De sacrific. miss.*, lib. III, cap. 1, § 2, num. 5 in fine.

(67. De reductione qui plura scire cupiat, adeat Pasqualig., a quæstion. 1163 ad quæstion. 1191.

(68. Quando demum, auctis fructibus legatis pro missis, augeri quoque debeat numerus missarum, non conveniunt doctores. At vide, si lubet, qui diversas affert opiniones, suamque simul proponit, Pasqualigo, q. 1078, per tot.

(69. Num obligatio celebrandi sit distincta ab obligatione applicandi, controverti solet. Affirmare videtur Rot. in *Hispalen. applicationis missæ pro populo* 14 Junii 1751, coram eminentissimo Migazzi, et 13 Febr. 1753, coram eminentissimo Elephantucio; at negant Fagnan., in cap. 11, n. 44 *De præbend.*; Cabassut, in *Theor. et prax. jur. canon.*, lib. II,

cap. 28, n. 8; Collet. *De SS. myster.*, cap. 17, sub n. 6, et qui vel solus sufficit, san. memor. Benedictus XIV, *De sacrific. miss.*, lib. III, cap. 9, n. 1 et seq.

(70. Secundum igitur doctores hosce, posita obligatione celebrandi, poni simul debet obligatio applicandi. (71. Maxime vero standum est huic opinioni, si id quod præstat pro unaquaque missa, adæquet stipendium missæ celebrandæ simul et applicandæ; Alphons. de Leon. *De offic. capellani*, quæst. 8, sect. 8, n. 51 et seq; Amostaz., *De caus. piis* tom. I, l. II, cap. 3, n. 48, et plur. seq.

(72. Quod si testator plura imposuit onera missarum, et quoad aliqua tantum demandavit applicationem, argumento a discretiva ducto, potest sustineri, quod noluit applicationem respectu illarum missarum, in quibus eam non demandavit, ut tradit san. memor. Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, lib. III, c. 9, n. 3.

(73. Sunt qui tenent, nec locum habere applicationem, si testator injunxit celebrationem missarum in certis ecclesiis horis designatis, ex præsumptione illa, quod in hisce circumstantiis in animo solum habuerit cultum ecclesiæ, commoditatemve populi. At, nisi testator id expresserit, contrarium tenet Mayr., in *Decretal.*, lib. III, tit. 41, n. 32; Rota coram Tanar., decis. 133, n. 17, et videtur rescripsisse sacr. congreg. Conc. interpret. in *Compostellana* 2 Julii 1760, et 8 Maii 1762.

Addenda, et notanda ex Benedicto XIV.

(In editione Casinensi.)

Ex supra allato decreto sac. congreg. Concil. ab Urbano VIII et Innocentio XII confirmato, « Missarum reductione Apostolicæ Sedis auctoritati reservata, vix dici potest quanta rerum farragine ex hoc uno capite obrueretur congregatio Concilii, cui hujusmodi reductionum cognitio committebatur; quæque proinde, ut aliqua hujus oneris parte sese levaret, id demum consilii cepit, ut episcopis sæpe delegaret facultatem reducendi missas in eorum diocesisibus, tradita tamen simul instructione, cui se in peragenda reductione conformare deberent. Interea vero adnotabimus id hodie frequenter usu venire, ut episcopis, communicata hujusmodi instructione, committatur missarum reductio, reservato tamen congregationi jure admittendi recursus, ac de iis cognoscendi, quotiescunque aliquis contendat, vel nullatenus imminuendum fuisse onus, vel saltem reduci non debuisse ea ratione, ac forma, quæ in illius reductione adhibita fuit.

« At, si magnum negotium facessabant reductiones missarum, quas per dioceses et in ecclesiis ordinariæ episcoporum jurisdictioni subjectis peragi oportebat; maximum profecto illud erat, quod oriebatur ex reductione missarum, quam regulares in suis ecclesiis ac monasteriis fieri postulabant: ex quo videlicet Urbanus Pontifex in suis decretis facultatem reducendi missas non solum episcopis, sed etiam regularium

ordinum generalibus ademerat; itaque illius successores Alexander VII, Clemens X et Clemens XI, nonnullis regularibus ordinibus indulserunt, ut a suis generalibus, in ecclesiis et monasteriis ordinis, missarum reductiones peragi possent. Cum vero Nos ipsi, dum in minoribus constituti munere secretarii congregationis Concilii fungemur, Innocentio XIII prædecessori nostro exposuerimus valde opportunum fore, si quæ aliquibus tantummodo generalibus ordinum data fuerat facultas, ad omnes protenderetur, simulque statueretur quosdam in consilium adhibere deberent generales in ipsa reductione conficienda; utque etiam definiretur non modo temporis spatium intra quod reductio absolvenda esset, sed etiam quantitas ad quam exigenda ac constituenda foret missæ perpetuæ eleemosyna; ac denique prohiberetur regulares nova missarum onera acceptare, nisi præhabita facultate a superioribus majoribus proprii cujusque ordinis: Pontifex omnia probavit, atque decreto super his edito cautum fuit, ut generales ordinum in qualibet sibi subjecta provincia duos pluresve idoneos religiosos designarent, qui singula ad accuratum examen revocarent, suamque de tota re sententiam transmitterent ad ipsum generalem, qui adhibitis in consilium suis assistentibus, seu aliis sibi bene visis, reductionem perficeret, statuta pro singulis missis perpetuis eleemosyna annuorum scutorum sexaginta monetæ Romanæ; hoc autem indultum ad triennium tantummodo perduraret. Innocentii XIII decretum insertum legitur in alio decreto Benedicti Papæ XIII impresso in Concilio Romano, quod anno 1725 celebratum fuit, tit. 13, cap. 8, ubi Benedictus Pontifex Innocentianum decretum, pro regularium ordinum generalibus confectum, ampliavit ad omnes episcopos qui eidem concilio Romano interfuerunt, ac etiam ad eos qui, justo impedimento detenti, certum procuratorem suum ad illud ablegaverant. Neque hic aliud addendum superest, nisi quod deinde frequentes fuerunt, ac etiam adhuc esse non desinunt tam proutationes statuti temporis, concessæ regularibus, qui intra triennium missarum reductiones facere, aut omni ex parte absolvere non potuerunt, quam extensiones præfati indulti, quo donati fuerunt episcopi qui concilio Romano interfuerunt, favore aliorum episcoporum, qui eam facultatem sibi communicari petierunt, quamvis concilio Romano non interfuerint, qui que illam identidem postulare pergunt; quemadmodum agnoscere licet ex præcitato hujusmet operis, lib. V, cap. 10, n. 3.

« Cum itaque facultates episcoporum, quoad missarum reductiones, non aliunde nunc deriventur quam vel ex ampliacione indulti quo donati fuerunt episcopi qui concilio Romano interfuerunt, vel ex instructione quam congregatio Concilii dat ad eos episcopos, quibus, Summo Pontifice annuente, hujusmodi reductionis peragendæ delegat facultatem; hoc primum statuendum

est, quocumque ex his duobus capitibus profuatur memorata facultas, circumscriptam eam esse ad missas tantummodo, neque protendi ad reliqua pia legata, piæve dispositiones inter vivos, quibus, exempli causa, eleemosyna pauperibus distribui, aut inopes virgines dotari præcipiatur. Et quamvis in ipsa instructione legantur hæc verba: *pia legata, et missarum onera*, si tamen integra instructio percurratur, satis aperte deprehenditur cohiberi eandem ad onera missarum, de quibus subinde semper, deque earum eleemosyna ibidem agitur atque disponitur. Cum autem concilium Romanum, æque ac instructio, missarum oneribus duntaxat provideant, non debet episcopus se extendere vel ad dotalia subsidia, vel ad eleemosynas, vel ad quamlibet aliam dispositionem, ex ea juris regula quæ docet facultatem ad certas res datam, ad alias diversi generis produci non oportere: uti recte animadvertit Navarrus in *Manual.*, cap. 12, n. 79, et in rem nostram pergit Fagnanus, in cap. *Ex parte*, n. 32, De constitutionibus.

« Quod si aliqua proponeretur dispositio, quæ simul, et missarum onera, et eleemosynarum distributionem, aliave pia opera comprehenderet, et quidem ob reddituum tenuitatem necessarium dignosceretur ad aliquam impositorum onerum reductionem devenire; reducenda potius sunt reliqua opera, non autem missarum numerus: juxta praxim apud congregationem Concilii receptam, de qua Fagnanus, in cit. cap. *Ex parte*, n. 34, De constitutionibus; pluribusque resolutionibus comprobata, et præsertim in quadam resolutione, sive rescripto, quod redditum fuit litteris episcopi Cremonensis mense Junio anni 1586, et legitur lib. IV *Decretor.*, pag. 161, a terg. et 162. « Quatenus ab habente potestatem reductio faciendæ sit, reducendas potius eleemosynas, quam missas. » Tunc autem tantummodo locus fieri posset reductioni missarum, integris manentibus reliquis piis operibus, cum eorum communis fundator in sua dispositione certum fundum pro celebratione missarum, ac certum itidem fundum ad reliquorum piorum operum implementum designasset; fundus autem missarum celebrationi addictus subiisset, uti recte adnotat Pasqualigus, *De sacrificio novæ legis*, quæst. 1191, vel cum ex ipsis dispositionis verbis, totoque contextu colligi posset eam fuisse testatoris mentem, ac desiderium, ut si quando, ob imminutos bonorum redditus, onera quoque deberent imminui, reduceretur potius missarum numerus quam eleemosynæ, et reliqua pia opera; veluti pergit Passerinus *De statu hominum*, tom. II, quæst. 187, n. 1101. Nam, cum superius memorata regula, ut scilicet, quoties reductionis peragendæ urgeat necessitas, integro relicto missarum numero, reducantur potius reliqua pia onera, innitatur præsumptæ menti, ac voluntati fundatoris, qui proclivior fuisse censendus est in illud pium opus, ex quo majora animæ suæ suffragia obventura prospici-

ceret, quale est incruentum altaris sacrificium; idcirco, si conjiciatur, et ex ipsis illius verbis, totaque perlustrata dispositione eruatur, ipsum propensiori affectu ac voluntate exoptasse reliquorum piorum operum implementum, quam celebrationem missarum, quandoquidem et reliqua pia opera sunt Deo accepta, et animæ valde proficua; mirum videri non debet, si in hac facti specie, cum factus fuerit locus reductioni, seu piorum onerum imminutioni, huic potius missæ, quam reliqua pia opera subjiciantur, eo vel magis, quod, juxta graves receptasque sententias sancta et salubris consuetudo multiplicandi suffragia et sacrificia pro defunctis, minime efficere debet ut obsolescat æque sanctus et salutaris usus eleemosynas pro pauperibus erogandi; sed exoptandum summopere est, ut et illa servetur, et alter non negligatur: quemadmodum licet quoque addiscere ex auctoritatibus Patrum, quas collegit Muratorius ad lin. cap. 12 sui operis *De Christiana charitate*.

« Et hæc quidem dicta sint, ut propositi argumenti tractatio plenior evadat. Cæterum, si pro reductionibus faciendis omnis episcoporum auctoritas vel ex ampliacione indulti in concilio Romano concessi, vel ex memorata instructione proficua, ad missarum onera cohibetur; perfacile captu est, quoties ita res ferant, ut vel missarum numerus vel reliqua onera sint imminuenda, ab horum onerum reductione debere episcopos abstinere, et congregationem Concilii adire, ipsi rem universam deferentes, ejusdemque definitionem expectantes.

« Eadem vero facultas, episcopis alterutro ex indicatis modis collata, quamvis ad missarum tantummodo reductionem contracta, complectitur tamen et anniversaria, juxta congregationis judicium hac ipsa de re pansum in pluribus resolutionibus, quas collegit Fagnanus in sæpius cit. cap. *Ex parte*, n. 30, De constitutionibus; ac etiam protenditur ad missas solennes, et cum cantu celebrandas, quemadmodum mox infra adnotabimus: non autem ad eas porrigitur missas, quarum celebrationi ecclesia, vel sodalium, sive collegium, ex inito contractu, sese obstrinxerunt. Et quamvis de hac exceptione nullum fiat verbum in concilio Romano, perspicua tamen sunt instructionis verba: « Exceptis instrumentis, seu contractibus, super quibus manus apponere non debeat, nisi in casu judicialis instantiæ pro illorum rescissione, titulo læsionis. » Et hæc plane affirmari potest non modo antiquioribus, sed etiam proximis temporibus post idem concilium Romanum, fuisse congregationis Concilii sententia, semper retenta, et manifestata, quotiescunque casus tulit ut hujusmodi quæstio discutienda ac definienda proponeretur.

« Adnotatum fuit etiam superius, si res exigenda foret ad normam sanctionis concilii Tridentini, a quo tributa fuit episcopis facultas reducendi missas in proxima synodo diocesana post ipsum concilium habenda, non licuisse episcopo imminuere, seu re-

ducere missarum numerum in beneficiorum fundatione constitutum: cujus rei hæc afferri potest ratio, quod scilicet non immerito dici posset acceptatum fuisse missarum onus per quemdam quasi contractum utrinque obstringentem:

« Fundatio, et dotatio illa habet se per modum quasi contractus ultro citroque obligatorii, seu donationis sub modo: quam cum episcopus admiserit, et provisorius, dum institueretur, non recusaverit, non potest modo onus detractare; » sunt hæc ipsa Fagnani verba, quibus in rem nostram utitur in sæpe cit. *Commentar.* ad cap. *Ex parte*, n. 24. De constitutionibus. Consensum his est congregationis rescriptum redditum relationi, quam olim, occasione visitationis sacrorum liminum, exhibuit episcopus Burgi S. Domnini. Rescriptum die 11 Maii 1630 signatum apparet, et legitur lib. *xiv Decretor.*, pag. 288, a terg. « Sacra, etc., libellum remisit ad ordinarium Burgi S. Domnini, qui, regionis more perspecto, » supradicta missarum celebrandarum onera « non tamen vigore contractus, vel conventionis suscepta, aut in fundatione apposita, » ad proportionatam reddituum quantitatem « pro suo arbitrio, et conscientia moderetur. » Nec difformes sunt reliquæ in similibus questionibus editæ resolutiones; uti videre est in *Maceraten. oneris missarum* 13 Novembris 1687, lib. *lxxxiii Decretor.*, pag. 636, et in *Montis Politiani* 3 Septembris 1716, lib. *lxxvi Decretor.*, pag. 429. Cumque Nos ipsi, aliqua etiam adhibita diligentia, perlustraverimus decreta post concilium Romanum a congregatione emanata, ut agnosceremus an ipsa, exceptas non videns missas per contractum acceptatas a reducendi facultate per sæpe dictum concilium tributa, novum sibi systema, novamque judicandi regulam statuisset, certo deprehendimus, quoties suborta fuit controversia super missarum reductionibus per generales ordinum factis in vim prædictæ facultatis a concilio Romano ipsis tributæ, ex eo quod ad minorem numerum reducerint missas per contractum acceptatas, congregationem nullas irritasque hujusmodi reductiones declarasse: quemadmodum videre est in *Romana reductionis onerum missarum* 18 Aprilis 1733, lib. *lxxxiii Decretor.*, pag. 165, a terg.; in *Faventina oneris missarum* 27 Februarii 1734, lib. *lxxxiv Decretor.*, pag. 94, a tergo; in *Nolana reductionis missarum* 14 Martii 1739, lib. *lxxxix Decretor.*, pag. 53 et 73, a terg. Quapropter tuto concludi posse censemus episcopos, quibus facultas est reducendi missarum onera vel ex concilii Romani ampliacione, vel ex sæpius memorata instructione, non posse missarum numerum in contractu præscriptum, ac vicissim acceptatum minuere, seu reducere, quamvis imminuti fuissent redditus ob eum finem assignati; sed hæc forte proposita facti specie, oportere ut iudicis partes assumant, investigantes an talis sit quæ obvenit reddituum imminutio, ut juxta recepti juris regulas, sufficiat ad rescindendum contra-

ctum, vel saltem ad eundem ad justitiam æquæ normam redigendum: quod etiam satis recte tuetur Monacell. tom. IV *Formul. legat.*, pag. 83, edit. Rom. pag. 111, ed. Ven. n. 466.

« Postquam demonstratum est quænam missarum onera reduci possint, disserendum superest de causis ob quas reductionem peragere liceat; nec non de circumstantiis, in quibus locum sibi vindicare potest reductio, ac de quodam quasi limite, ultra quem protendi nequit ipsa reductio: uno verbo, de reliquis omnibus, quæ necessaria sunt ad hujusmodi opus rite recteque absolvendum, et ne peractæ ab episcopis reductiones censuris molestisque investigationibus obnoxie fiant.

« Causas itaque, ob quas fas est reductionem aggredi, pierumque, imo fortasse semper suppeditat decrementum reddituum, qui fuerant pro onerum implemento assignati; aliquando vero adaucta per episcopos in suis synodis missarum eleemosyna: quo nimirum fit ut, quamvis initio id quod constituit fundator in præscripti oneris supportationem ad illius implementum satis haberetur, nihilominus, auctis subinde missarum eleemosynis, impar deprehendatur, nec ullus reperiri valeat sacerdos qui, oblata juxta veterem taxam eleemosyna, missam celebrare velit; proindeque is cui onus est curandi hujuscemodi missarum celebrationem, si velit imposito sibi oneri satisfacere, cogatur sacerdotibus celebraturis pinguiorem eleemosynam largiri; et has quidem causas indigitavit quoque Tridentinum concilium, præcitat. cap. 4, sess. xxv, *De reformatione*.

« Sed quamvis præmonstratæ causæ non modo re ipsa adsint, sed etiam fuerint plene comprobatæ, non tamen illico fas est missarum perpetuarum reductioni manus admove. Diximus autem missarum perpetuarum: cum enim res est de missis manualibus, pro quibus nimirum celebrandis receptæ sunt eleemosynæ, si earum celebratio neglecta sit, locum obtinere non potest reductio; sed condonatione, aut compositione opus est, quæ, uti supra monuimus, supremo Sanctæ Sedis iudicio et auctoritati reservatæ sunt. Disserendo itaque de missis perpetuis, ut hæc jure reducantur, aliquid amplius inspicere opus est; nimirum, an adsit quispiam qui contingentem reddituum imminutionem supplere teneatur; si enim inveniatur aliquis hæc obligatione obstrictus, non debet episcopus de missarum reductione peragenda cogitare, sed potius hunc cogere ut quoad contingit decrementum suppleat et emendet; quo injuncta a pio fundatore missarum onera cumulate implentur. » Sic Bened. XIV, *De synod. dioces.*, lib. xiii, cap. ult., n. 20 et seqq.

ARTICULUS III.

Missæ quoad obligationem quam habent eam applicandi parochi et beneficiati.

SUMMARIUM.

1. Omnes parochi jure divino tenentur applicare sacrificium missæ pro suis parochianis, cum hæc

tamen distinctione, quod illi qui habent pingues redditus, tenentur applicare quotidie, et illi qui habent redditus tenues, saltem diebus festis, et tunc nequeunt illam applicare pro se, nec pro aliis gratis, et multo minus pro stipendio. — 2. Licet concilium Tridentinum non exprimat quoties parochi teneantur applicare missam pro suis ovibus, habetur tamen ex pluribus declarationibus S. congr. ejusdem Concilii, et ex confirmatione Innocentii XII. — 3. Afferitur ad id declaratio diætæ sacræ congreg. Concilii in *Lucana*. — 4. Afferuntur plures aliæ ejusdem sac. congr. declarationes, et signanter in *una Hydruntina*, in *una Romana*, in *una Meliten.*, in *una Cremonensi*. — 5. Afferitur adhuc alia ejusdem sac. congr. Concilii declaratio pro illis parochiis, qui ita tenues habent redditus, ut inde nec congruum habeant. — 6. Afferitur ad id expressa confirmatio, et declaratio Innocentii XII. — 7. Ex hæc Innocentii XII constitutione sequitur manifeste, parochos esse ad id strictissime obligatos, ut etiam ex post pluries a dicta sacra congregatione Concilii fuit resolutum, præsertim in *Pampilonensi*, et in *Camerinensi*, ac sæpe alibi. — 8. Unde omnino est sic semper tenendum, nulla habita ratione ad tenuitatem congruæ parochorum, quia excusatio ista fuit semper rejecta, et signanter in *una Narniensi*, quæ afferitur. — 9. Imo, ut refert, et tenet Ursaya, ubi est consuetudo, quod parochi celebrent ad benedictiones nuptiales impertiendas, et pro sepeliendis mortuis, non possunt ipsis diebus pro eadem missa eleemosynam accipere; sic pluries declaravit sacra congregatio. — 10. Assignatur pro scrupulosis, quinam sint redditus pingues, ratione quorum tenentur applicare quotidie, et quinam sint redditus tenues, ratione quorum tenentur applicare solum diebus festis. — 11. Nunc autem circa prædicta attendenda est novissima dispositio Benedicti XIV. — 12. Varia quoad hoc notanda ad n. 14. — 13. Beneficiatus, seu capellanus tenetur applicare sacrificium pro beneficii fundatore, licet non reperiat expresse expressum, quoties fundator non declaravit relinquere sacrificii applicationem in libertate celebrantis. — 14. Maxime, si beneficius sit ex recentibus, et redditus assignati excedant, et adæquent id quod ex jure vel consuetudine solet erogari pro onere applicationis in determinatis locis præscripto. — 15. Si vero redditus assignati non adæquent consuetum stipendium, quod erogari solet pro onere missarum cum applicatione, sed sint longe inferiores, vel beneficius sit ex antiquis, in quibus pro penuria sacerdotum intendebatur principalis commoditas populi, honor loci, vel templi, vel sancti, multi tenent capellanum, seu beneficiatum non obligari ad applicationem sacrificii. — 16. Capellanus obligatus ad missam quotidianam, si obligatio referatur ad locum, ut si dicatur, *celebretur quotidie missa in tali ecclesia, vel tali altari*, tunc sine ulla vacantia tenetur celebrare quotidie, vel per se, vel per alium; si obligatio referatur ad personam sacerdotis, tunc etiam sine ulla vacantia tenetur quotidie celebrare, sive per se, sive per alium. — 17. Si vero obligatio quotidie celebrandi sit mere personalis, ita ut teneatur per se celebrare, tunc titulo honestatis, vel reverentia sacramenti, aut alia justa causa, potest aliquoties abstinere, et etiam semel in hebdomada. — 18. Diebus tamen quibus, ut supra, licite potest capellanus a celebratione abstinere, non potest missam pro se ipso, vel pro aliis, præterquam pro fundatoribus celebrare, et tanto minus pro hujusmodi celebratione stipendium accipere. — 19. Dantur ad id decreta sac. congr. Concilii. — 20. Beneficiatus, cui impositum est onus ut debeat continue singulis diebus missam celebrare, et si cessaverit eam celebrare, teneatur v. g. solvere duos Julios pro qualibet missa non celebrata, non potest unquam vacare, nisi suppleat per alium. — 21. Non tenetur tamen neque per alium celebrare

tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies. — 22. Ex concilio autem provinciali Mediolanensi capellanus, seu beneficiatus deobligatur a celebrando, et supplendo per alium ratione infirmitatis, etiamsi per mensem ægrotet. — 23. Capellanus, qui habet onus celebrandi singulis annis unum anniversarium triginta vel quinquaginta missarum pro anima fundatoris, non tenetur facere celebrare missam cantatam. — 24. Capellanus non tenetur missas celebrare tempore quo capitale dotis assignatæ est otiosum et infructiferum sine sua culpa. — 25. An obligatus faciendi celebrare missas, si ad id data eleemosyna, postea dubitet, vel sciat non celebratas, teneatur iterum, etc. — 26. Additur synopsis supra allatæ const. Ben. XIV ad n. 45. — Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ubi nonnulla ad rem, ad num. 52.

(1. Omnes parochi jure divino tenentur applicare sacrificium missæ pro suis parochianis; cum hæc tamen distinctione, quod illi qui habent pingues redditus, tenentur applicare quotidie, et illi qui habent redditus tenues, saltem diebus festis, et tunc nequeunt illam applicare pro se, nec pro aliis gratis, et multo minus pro stipendio, ut deducitur in primis ex concilio Tridentino sess. 23, *De reform.*, cap. 1, sic expresse dicente: « Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, etc., » ubi nota quod non dicit concilium, « coram illis offerre, » scilicet ut audiant, sed dicit « pro illis offerre, » id est applicare; adeoque ex concilio clare constat, parochos omnes teneri jure divino applicare missam pro ovibus suis. (2. Et licet concilium non exprimat quoties parochi teneantur applicare missam pro suis ovibus, habetur tamen ex pluribus declarationibus sacræ congreg. ejusdem Concilii, et ex confirmatione Innocentii XII, quæ ut omnibus consentit, hic ad litteram subnectuntur.

In Lucana.

(3. « Cum præcepto divino iis quibus animarum cura commissa est mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, sæpe alias sac. congreg. Concilii censuit, parochos teneri pro parochianis sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festis. Idem nunc censet quoad parochos istius civitatis, et diocesis, hoc insuper addens, ut detractantes E. V. pro suo pastoralis zelo compellere non gravetur. Hanc sacr. congr. sententiam E. V. significo, eique manus humillime deosculor.

« Romæ, 10 Maii 1681.

« Humillimus, et addictissimus servus,

« Fr. cardinalis COLUMNA.

« Stephanus archiepiscopus BRANCATIUS, sacre congr. secret. »

(4. Sic pariter jam fuit declaratum in *una Civitatis Castellana* 26 Augusti 1628; in *una Hydruntina* 13 Febr. 1639; in *una Romana* 17 Julii 1649; in *una Clusin.* 5 Julii 1670, et iterum in *una Meliten.* 10 Maii 1692, et